

habentur. At enim cum illud constet, vesperam apud Hebræos attributam esse diei insequenti, Israelitasque mactato agno, cum jussi essent excedere Ægypto, adeo properasse, urgentibus Ægyptiis, ut farina jam tum mactata quidem, sed nondum fermentata, nedum coctæ, massam secum asportare in matris, ad primam usque mansionem in Socoth, cogentur, et tamen sacra historia memoret, die decimo quinto ipsos discessisse, eumque diem postridi paschatis fuisse, absurdum illud esse videtur, eam vesperam ad diem decimum quartum referri. Neque enim credibile est, ab eâ vesperâ, quæ diem decimum quartum antecesserat, ad eumque pertinuerat, usque ad diem 15, eos moram, quando omni festinatione properabant, fecisse. Nam et maximâ abundi cupiditate per se ipsi incitabantur, et insuper ab Ægyptiis vehementer ad festinandum urgebantur. Sic ergo statuendum est *בין ערבים* et *ערב*, hoc est, *vesperam*, illud dici tempus, quo nondum quidem è nostro orbe finiente excessit sol, sed tamen inclinatissimè propè ab occasu abest, agnumque paschalem mactari solere, die quidem decimâ quartâ, sed ejus extremâ parte; cum autem mactatus jam deinde esset assandus, cœnaque comparanda, noctem interea advertisse, quæ ad diem decimum quintum pertineret. Itaque in epulo accubuisse omnes eâ nocte, quæ lucem diei decimi quinti cum præcederet, ejus diei esse pars censebatur. Hoc enim evangelicæ etiam historiæ consentaneum est, quæ memorat, Christum emisisse duos discipulos ante eam noctem, quæ diei passionis suæ imminet, scilicet, ut agnum mactarent, cæteraque ad epulum apparerent; ipsum autem, cum cæteris discipulis, tandem, *ὀψίας γενομένης*, hoc est, nisi fallor, cum serum esset, solque dudum occubisset, advenisse et accubuisse. Nisi si quis mali opinari, in celebrandi Paschatis narratione, noctem insequentem esse attributam diei præcedenti; à quâ opinione video videtur R. Mosen F. Nehemanni non fuisse alienum. Sed Hebræorum sententias mox exponemus.

Sanctos nostros Evangelistas sic esse locutos facti cogitur, cum eum diem, quo Christus jubebat suos abire paratum cœnam, vocarent azymorum diem. Decimum enim quintum diem fuisse azymis consecratum res est sacris litteris testata; edebantur enim azyma simul cum agno eâ nocte quæ ad diem decimum quintum pertinens, decimum quartum finiebat. Et quid mirum est sic esse locutos Evangelistas, cum

Deus ipse jusserit, azymis omnes vesci die decimâ quartâ vesperi, quæ vespera erat reverâ diei decimi quinti initium? Illis enim utitur verbis in Exodo cap. 12, v. 18: *Primo (mense) decimo quarto die mensis, in vesperâ, comedetis azyma, usque ad diem vicesimum primum mensis in vesperâ.*

Sed jam videamus quæ sint Judæorum sententiæ, qui non in magnâ varietate atque disensione constituti videntur. Plerique enim omnes consentiunt, die 14 jugulandum esse agnum, nocte verò eâ quæ deinceps sequitur, hoc est, quæ diei decimi quinti lucem antecedit, edendum. Cæterum quodnam fuerit mactatus tempus, et cur illud *בין ערבים* inter duas vespas definitum sit sacris verbis, non est una omnium opinio. Pars major quidem statuit, fas fuisse mactandis agnis operam dare, ab horâ sextâ, hoc est, à meridie diei decimi quarti, usque ad duodecimam horam ejus diei, hoc est, usque ad solis occasum, post verò, nefas. Tum enim inchoato die decimo quinto, festum fuisse agendum, ac vorandum, cum azymis, agnum. Hæc opinio eodem proditi primùm videtur memoriæ et litteris in eo commentario vetusto, qui *Mechilta* inscriptus est. Etenim inter alia illic legitur: « Dixit R. Natham, quæ potest afferri causa, cur illud *בין ערבים* inter duas vespas, accipiendum sit de eo tempore, quod à sextâ horâ ad finem usque diei habitur? Et responsum est, non quidem posse afferri causam, sed ita traditum esse à majoribus. » Hæc in *Mechilta*.

Huic consentaneum illud quoque est, quod R. Simeon F. Johai scriptum reliquit in libro *Zohar*, et ipse auctor cum primis antiquis; *ערב*, vesperam, dici universum illud temporis intervallum, quo sol à meridie in occidentem devexus fertur, similiter id, *בקר*, quo ortu conscendit ad cœli fastigium usque. Diem enim totum dividi in *בקר* et *ערב* vesperam. Cæterum cur illud pomeridianum tempus universum vocetur *בין הערבים*, inter duas vespas, hæc affert rationem R. Salomon, quæ id tempus, inquit, inter observationem diei, et horâ septimâ inchoatam, et noctis obscuræ lionem, quæ noctis est initium, habetur. At Levi F. Gersonis, autumat, *ערבים*, duas vespas, sive duo crepuscula, significare, crepusculum matutinum, quod tamen *ערב* potius, ab obscuro lumine, appellari solet, et crepusculum vespertinum, quod propriè *ערב* dicitur. Inter illa autem duo crepuscula, inquit,

medium tempus est meridies; meridie ergo auspiciari mactatum fas est; at ultra occasum extendere nefas, cum dies decimus quartus, in quo agnus est mactandus, sole occumbente finiatur. Atque hæc habuisse opinionem chaldæus Onkelos videtur, qui illud *בין ערבים* interpretatur *בין ששעא*, hoc est, inter soles, orientem scilicet et occidentem. Nehmannus verò suo assensu R. Salomonis sententiam approbat. At Aben Ezras eandem refellens concludit, duarum vespas appellatione significari tempus illud quod à sole occumbente ad ipsum usque tenebrose noctis initium intercedit, hoc est, quamdiù solis ex nostro orbe finiente egressi lumen à nubibus repercussum, tenebras avertit, neque prorsus noctem esse sinit, quod intervallum, inquit, est ferè horæ unius, et tertiæ partis horæ; una enim caligo ellicitur cum sole occumbente; altera verò, condito prorsus eo, quod dixi, lumine. Laudat deinde quemdam R. Sadaïam, ex inelytorum numero, qui *למזרח* vocat, quem alioqui libenter solet honoris causâ nominare; hunc, inquam, Sadaïam citat, qui scripserit, traditum quidem esse à majoribus, mactatum paschalis hostiæ fas esse auspiciari ab eo temporis momento, quo certi sumus, solem superato medio cœlo ad occidentem vergere, propterea quod ara illa in Salomonis sede, in quâ unâ paschales hostiæ jugulabantur, solos quinque cubitos longa, et totidem lata, cum pauculos sacrificios admitteret, à sanguine pecudum expurgari non potuisset, si tantillo tempore horæ unius et tertiæ partis, simul omnes agni fuissent mactandi; cæteroque verò solum illud tempus à sole occidente usque ad conditos ejus radios et fulgures, fuisse legitimum. Illam Aben Ezra sententiam, quam sanè magnis rationibus ipse affirmavit, secutus partim esse videtur potest Jacobus Faber Stapulensis, vir doctissimus atque acutissimus, cum scribit, vespas illas duas explicans, alteram esse quæ cepta à solis occasu, durat quamdiù crepusculum, alteram quæ à crepusculi fine ad insequentis usque diei initium pertinet; in primâ mactandum fuisse agnum, in alterâ sanctè convivandum. Sed non persequar ejus sententiam longius; est enim ab ipso luculenter prescripta, et in vulgus pervulgata. Hoc modò monebo, cum ut Aben Ezras, ita et Stapulensis, post solis occasum tandem, sed ante noctis tenebras, jugulent agnum, eam temporis partem ab ipsis diei decimo quarto attribui debere, quod sanè haud esse absur-

dum, argumento sunt illa, quæ supra exposuimus. Quare non facillè staterim, istorum ne, qui post solis occasum mactandum esse agnum censent, an illorum qui ante, opinio sit ad verum similitudinem propensio.

Sed quod à R. Sadaïa proditum est, ad aram in Salomonis templo mactari debuisse omnes agnos paschales, id verò non facillè illi concessero. Nam quod de Josiâ Paschate affert, parum firmum esse videtur argumentum, si ipsa narrationis sacre verba inspiciantur, quæ in Paralipomenis scripta extant.

Igitur, ut rem in pauca conferamus, ant debet mactari agnus Paschalis ante occumbentem solem diei decimi quarti, ut plerique Judæi putant; aut, si post occasum mactabatur, ut Aben Ezras et Faber autumat, erat hoc tempus, ratione cæteroque inusitatâ, decimo quarto diei ascribendum. Nam in Numeris scriptum est, profectos esse Israelitas è Ramesse mense primo, die decimo quinto mensis, postridiè Paschatis, quod de mactatu, non de ipso festo, esse accipiendum aperta res est, cum in eodem libro scriptum sit, ipso die decimo quinto festum Paschatis esse celebrandum, hinc verbis, cap. 28, v. 16 et 17: *Mense primo, die decimo quarto mensis, pascha esto Domino. Decimo quinto die verò mensis istius, festum, diebus septem vescentur azymis.*

Sed enim illud quoque videndum superest, qui possit esse verum, profectos esse Israelitas è Ramesse die decimo quinto, qui erat postridiè Paschatis, et quidem, in oculis, ut habet historia, quando in Ægypto, quando in Deuteronomio scriptum est, sacrificandum esse Pascha, in eo loco quem suo nomini dedicasset Deus, non autem in quâ quisque habitaret urbe; idque vesperis, hoc est, *בערב*, sive in caligine, occumbente sole, quo tempore egrediebatur ex Ægypto. Certum est, cum, vel ante solis occasum, in extremo diei decimi quarti, vel condito quidem sole, nondum tamen ablata luce, hoc est, inchoato die decimo quinto, mactatus fuisset agnus, atque multâ jam nocte epularentur Israelitæ, subito tumultuatam esse universam Ægyptum, ob funera suorum liberorum primigenarum. Ibi, procul dubio, nullâ interpositâ morâ, non solum rex Israelitius discedendi potestatem faciebat, sed pro se quisque, quantum potuit, ipsos à se extrudebat atque exturbabat, penes quos tanti mali causam esse intelligebant omnes. Eâ igitur nocte discessum insititue coacti sunt Israelitæ. Apparationem ergo hæc vocat historia egressum, ut etiam



in Deuteronomio, cap. 16, vers. 1, ubi sic loquitur Deus: *Quia mense maturescentium frugum eduxit te Dominus Deus tuus ex Aegypto, nocte.* Nam inepta sunt Judaeorum quorundam commenta, qui vocabulum *Mizraim*, non *Aegyptum* ipsam, sed urbem *Aegypti* primariam, quae etiam nunc *Mexrem* vocatur, significare contendunt, quoties sacra narratio memorat, Hebraeos nocte egressos esse ex *Mizraim*. Solos enim *Mosen* et *Aaronem* eâ nocte clam se subduxisse ex *Mexrem*, urbe regiâ, ne à furenti tyranno, propter filii sui casum, occiderentur. Etenim illud *Mosis* edictum, quo isti ad hujusmodi ineptias comminandas inducuntur, ne quis illâ nocte pro foribus domus suae excederet, tantisper modo observandum fuit, dum cedes illa per grassatorem angelum pararetur. Ceterum cum jam luceret, tum demum denso agmine procedere visi sunt, atque hoc est, quod memorantur die decimo quinto postridiê Paschatis, è *Ramesse* egressi esse, manu excelsâ, in oculis universae *Aegypti*. Vocatur enim lux illa, postridiê Paschatis, quia ipse, ut dixi, Paschatis mactatus, vel extremo die decimo quarto factus erat, vel insequentis noctis pars decimo quarto diei fuit adscribenda. Sed jam longius ista prosequor quam præsens locus postulare videtur. Quare hoc unum addam memorabile sanè, quod in *Talmude* scriptum reperi, ubi de anni principio disputatur, celebrem fuisse et veterem opinionem apud *priscos* *Judeos*, qui dies veritatis anni *Israelitis* fuisse libertatis *egyptiacae* initium, eumdem enim ipsis fore initium quoque libertatis, quam essent à *Messia* recepturi. Quam id autem pulchrè cum nostrae religionis consentiat doctrinâ, nemo non videt. Adepti sunt enim illi in *Aegypto* libertatem mense primo medio, hoc est, cum luna ex adverso opposita soli toto suo luceret orbe. *Christus* quoque eodem illo mense, lunâque similiter affectâ, nobis ex cruce libertatem suâ morte dedit. Sed pergamus.

VERS. 11.—*EDERANTQUE DE FRUMENTO TERRE, POSTRIDIÊ PASCHAVIS, etc.* Non satis certum est, quis dies hoc loco vocetur, postridiê Paschatis. An decimus quintus, qui erat postridiê quam mactatus fuisset agnus, ut jam dixi, an verò decimus sextus. Nam toto decimo quinto die festum Paschatis agebatur. Certè quod ad *azyma* attinet, dubitatio nulla esse potest, quin ea simul cum agno edenda fuerint die decimo quinto, et deinceps per dies septem. At tosta certè ex novis frugibus non potèrè edi prius-

quam consecrata fuissent messis primitiæ, hoc est, manipulus, qui jubetur offerri, postridiê sabbati, id est, postridiê ejus diei, quantum apparet, qui sacro Paschate festus erat. Fuisse autem decimum quintum festum, non decimum quartum, negari non potest. Sed adscribam legis verba ex *Levitico*: *Mense primo*, inquit, cap. 23, v. 5, *die decimo quarto mensis, inter duas vespèras, sive duas caligines, Pascha Domino, atque decimo quinto die mensis istius, festus dies azymorum Domino; septem diebus azyma comedetis.* Rursus de manipulo, post pauca, v. 10: *Loquere* (inquit Deus ad *Mosen*) *cum filiis Israel, dicitque ad eos: Cum veneritis in terram quam ego do vobis, messuri messem ejus, afferite manipulum, primitias messis vestrae, ad sacerdotem: is agnabit manipulum coram Domino; pro vestra voluntate, sive, quod vobis faustum sit, postridiê sabbati agnabit illum sacerdos.* Et *Talmud* quidem *Jerosolymitanum*, de placenta, quæ ex quâque massâ sacerdoti debebatur, disputans, quorundam *Rabbinorum* opinionem profert, qui hoc loco, diem decimum quintum consuebant esse, postridiê Paschatis.

In eadem etiam sententiâ est *R. David Kimhi*. Cum autem nefas fuerit, ustulatis novis spicis vesci, ante eum diem, quo, ut dixi, consecrabitur manipulus (sunt enim explicata ista legis verba *Levit. loc. cit.*: *Et panem, et tostum et spicas tritas non comedetis usque ad eum ipsum diem, quo obtuleritis oblationem Deo vestro*, debent qui hanc habent opinionem, ante sabbatum superioris legis, accipere de nocte illâ quâ agnus edebatur, quæque lucem diei decimi quinti precedebat, eamque superiori diei adscribere, ut decima quinta lux possit postridiê sabbati rectè vocari, aut cum *Kimhi*, ex istis verborum angustiis aliâ se ratione facilè expèdire. Ait enim *Kimhi* tostum, cujus hic est mentio, non esse ex hornâ fruge. Nam *לַחֵץ*, superioris anni modò frumentum significare; itaque ut manipulus nondum oblatum sit hoc die 15, tamen totis ex veteri fruge vesci liceat. Et sanè *לַחֵץ*, aut *לַחֵץ* hoc est, tostas sive ustulatas, aut frixas fruges, nullas apparari solere, nisi hornas, quod *R. Salomon* existimare videtur, equidem puto nullis sacrae Scripturae dietis satis firmè confici posse. Quare si tosta ista, ut et *azyma*, ex superioris anni frumentis facta fuisse statuamus, non nefas erit eis vesci, ante oblatum manipulum, hoc est, die decimo quinto mensis *nisan*, qui sacro Paschate festus agebatur. Verùm *Talmud* *Babyloni-*

nicum in *Mesichta* de anni principio, et *R. Levi* *P. Gersonis*, cum plerisque aliis *Judæis* existimant de novis frugibus locum hunc accipiendum esse, quibus interdictum erat, usque dum manipulus esset oblatum, postridiê festi Paschalis, qui dies erat decimus sextus mensis *nisan*, ut isti statuunt. Et in hac sententiâ fuisse videntur septuaginta Interpretes. Nam quod nos, tostum, id ipsi converterunt *וַיֵּא*, hoc est, fruges novas. Etenim quod *R. David Kimhi* scribit, *לַחֵץ* prateriti anni frumenta significare, id parùm firmum est. *Chaldaicæ* enim linguâ, nullo discrimine fruges omnes quibus vescimur, vocatur *לַחֵץ*, quod ex *Josephi* historia in *chaldaicam* linguam conversâ luculentissimè apparet. Sed utra sententiâ verior sit, incertum mihi esse fateor. Et proinde rem in medio relinquo.

Porrò illa clausula verborum: *Eo ipso die, videtur significare, populum avidissimè affectum de gustando fructu terræ promissæ, simul atque fas ei fuit, desiderium suum egregiè explevisse.* Nam usurpare illius possessionem antequàm sacris paschalibus operati fuissent, religio erat. Si verò de hornis frugibus agitur, vesci eis lex ipsa vetabat, nisi consecrato postridiê festi Paschatis manipulo.

VERS. 12.—*ET CESSAVIT MANNA POSTRIDIÊ, DUM EDERENT DE FRUGIBUS TERRE, etc.* Quin de eodem die loquitur hic versiculum de quo præcedens, sive eum fuisse decimum quintum statuamus, sive decimum sextum mihi nulla est dubitatio. Multi tamen *Judaeorum* existimant, eum jam dici diem, qui fuerit postridiê superioris illius diei. Neque enim potuit, inquit, cessare manna, quo die manipulus offerebatur. Nam etiam tum eo opus habebat populus, cum frumenta adhuc nulla messuisset. Atqui in uberrimâ regione vetus frumentum deesse non potuit, quo vel ad paucas horas vescerentur, et fortassis ex campis *Moabiticis* secum asportarant, cum jussi fuissent viaticam comparare. Ceterum credibile est, pluisse quidem perpetuò adhuc manna, præterquam diebus Sabbati, vulgòque id panis loco fuisse, tametsi ut erat fastidiosum genus hominum, atque ad æstimanda Dei dona parùm attentum justumque, alio interim pane quoque vescerentur, quibus obtingere alius usquam potuit. Nam pretio cibum illos per viam comparasse constat ex sacra historia. Verùm à frugibus *Chananaeae* religiosè omnes abstinuisse, usque dum circumcisi, Paschatis festum celebrassent, ideòque adhuc manna opus fuisse. Nunc porrò pluerè desuisse, cum

Deus, quem ob inopiam cibum fuerat benigne largitus, cum oblata alterius cibi copiâ subtraheret, ne cœlestè donum fastidio esset ingratis hominibus, quod ne ipsâ quidem summâ necessitate satis grato animo haberant.

Sed dices, *Mosen* attestari, pane non esse usos per desertum; ergo solo manna. — Atqui *Moses* hoc modo volebat, pane nullo alio eos eguissè per vastam solitudinem, nunquam enim defuisse manna. Sed enim eò quoque pertinere, quòd subito cessat manna, cum alius cibus suppetit, ut intelligant omnes, non naturali quâpiam aeris temperie, ut grandinem, rorem, pluvias, nives, cæteraque quæ ex terrâ halitu procreantur, illud quoque cibum concretum decidisse, sed ex merâ Dei liberalitate atque misericordiâ, veluti ex aperta cellâ penariâ cellâ exromptum in populi fuisse penuriam.

Nugantur autem, ut solet, *Talmudici* in actuario *Mesichta*, atque etiam in commentario *Mechilta*, cum dicunt, manna desiisse pluerè cum *Moses* exiret è vitâ, sed inde conservatum in vasis adhuc pro cibo *Israelitis* fuisse, jam verò tandem defecisse prosus. Neque enim hic nunc memoratur defecisse, ut rectè à *R. Levi F. Gersonis* est notatum, quantum Latini, secutus *Septuag.*, ut solet, hoc reddiderit: *Sed cessavit*, hoc est, pluerè desicisse. Quòd verò illi commentum hoc suum magno per ad *Mosis* gloriam pertinere putant, ineptum est profectò. Neque enim ex *Mosis*, sed Dei benignitate sacram illam pendere cœlestis sibi pluviam oportebat omnibus esse persuasum.

Sequitur: *Neque habuerunt deinde filii Israel manna, ederuntque de proventus terræ Chananaeae, etc.* hoc est, post illud tempus nunquam deinde pluit manna, pro victu *Israelitarum*. Neque enim opus fuit, cum traducti in terram lacte et melle affluentem, hoc est, fertilissimo solo uberrimam, eâque hæreditatis loco donatâ à Deo essent. *Talmudici* rursus, eo quem nuper ostendebam loco, statuunt, ista ad mannae laudem spectare, quasi memorentur *Israelitæ* ideò *chananaicas* fruges edisse, quia manna caruerint. Similiter ac si dicam, me pane hordeaceo vesci, quia non habeam triticum, quasi verò illi cœlestem cibum insolentia atque contumacia detestabili non pridem fastidierint. At enim facilè concedo *Talmudicis*, singulari quâdam suavitate præ cæteris cibis conditum manna fuisse. Eò enim detestabilior erat populi adversus divinam beneficentiam animus ingratus, cum citissimè, non tam fastidio et satie-



tate, quàm, ut dixi, insolentia ab illo alienarentur, atque Ægypti cucumeres, pepones, porrum, cepas, allium pan angelorum non verecundarentur præferre. Ceterùm Chananzæam hic nominatim vocari terram, ejus deinde fructibus pro cibo usus sit populus, ideò arbitrantur multi, quòd superioribus duobus versiculis non de Chananzæa modò frugibus accipienda fuerit narratio, sed magis de iis, quas secum ex Galaatide, et campis Moabiticis asportarant, cum jussi fuissent, ante fluminis trajectum, comparare vitæicum. Quod additur, *in illo anno*, haud ferè dissimile illi est, quod superius dicebatur: *Eo ipso die*. Nimirùm pertinet ad celebrandum eternâ memoriâ faustum illud auspiciu, quo ventum est in possessionem terræ, ut diù desideratissima, ita et felicissima.

VERS. 13 ET 14. — ACCIDIT PORRO CUM ESSET JOSUA IN JERICHO, UT SUSTOLLERET OCULOS, etc. Visum, quod hic Josue objicitur, propè geminum esse ei, quod Mosi in rubo apparuerat, potest existimari. Par enim utriusque ratio, et inde in utroque Dei consilium esse videtur, ut utriusque imperatoris animus, in ipso rerum gerendarum initio, simul et certâ fiducia firmetur, et ab insolente arrogantia prohibeatur, cum intelligant illi, imperia ardua et difficilia quæ suscipiunt, Dei consilio, nutu, potentia, non suis viribus, suaque prudentia esse gerenda; ut autem dissimiles ipsis offerrentur species, dissimilium rerum agendarum ratio postulabat. Josua enim, cui perpetuò inter medios hostes versandum foret, nudato gladio armatum virum fortissimum sibi opportunè adesse præstò vidit. At Moses, cui non tam cum armatis hostibus, quàm cum sævo populi domino, atque etiã cum ipsis naturæ elementis, in Ægypto, in mari, in vastâ solitudine pugnantium luctandumque totâ vitâ esset, vidit rubum, populum videlicet, ejus ipse esset futurus imperator, è mediâ calamitatum atque ærumnarum flammâ incolumentem superesse, sed presente Deo, rubumque in ipso incendio conservante. Sic enim R. Simeon F. Johai, scriptor apud Judæos cum primis vetus, et arcana rerum indagator subtilissimus, in libro Zohar; et cum, opinor, secutus R. Levi F. Gersonis illud Mosi visum sunt interpretati.

Sed enim memoratur Josua fuisse in Jericho, cum esset non in urbe, quæ clausis portis, custodisque ac vigiliis munita, admittat benenem, sed in planitie in quâ illa erat posita. Nam eam quoque illi nomini esse subje-

ctam diximus. Quantùm hoc etiã dici rectè potest, præpositionem, *in*, viciniam significare aliquando apud Hebræos. Nam Josua alibi narratur hostes cecidisse in Gabaone, qui Gabaone cinxerant obsidione, vel, quod R. Levi Gersonis placet, Josuam non reipsâ, sed animi cogitationibus fuisse in Jerichunte cum de eâ capiendâ secum meditaretur: similiter atque Daniel scribit, se in Susis fuisse, cum sibi illud arietis visum offerretur memorabile, qui tamen in regiâ Babylone fustum videtur, si ejus narrationis extremum addas.

R. David Kimhi putat, jam è Galgalis educitum fuisse exercitum ad obsidendam Jerichuntem, atque castra ante urbem posita, ibique Deum confirmandi imperatoris gratiâ, et simul capiendæ urbis rationem edocendi, visum istud illi obtulisse. Atqui satis obsessa videri urbs poterat ex ipsis statibus, ut quæ decem, teste Josepho, stadia tantum ab eâ abessent; fieri ergo potest, ut, cum imperator oppugnandæ urbi locum opportunum ivisset speculatum, aut alioqui in agro suburbano in rerum agendarum meditatione versaretur, iste ei lætus nuntius, et belli inchoandi præmonstrator, atque adeò confector sit oblatu, ut fluctuantem rerum difficultate animum ipsius sedaret, confirmaretque. Nimis enim faciè hominum mentes, quantâvis magnâ fiducia præparatæ, presentium discriminum metu perturbentur: sicut rursus, feliciu rerum cursu efferuntur inani fiducia, Deique obliviscuntur.

Sequitur: *Ut sustolleret oculos*. Crebrò in sacrâ historiâ hoc scriptum est, cum res nova atque improvisa se obtulit, ut de Abraham Gen. 18, v. 2: *Et sustulit oculos suos, et vidit, et ecce tres viri stabant*, etc. De Jacobo Gen. 35, v. 1: *Et levavit Jacob oculos suos, viditque venientem Esau*. De Esau ibid. v. 5: *Et levavit oculos suos, et vidit mulieres*. De Da-niele cap. 10, v. 4: *Et sustulit oculos meos, et vidi, et ecce vir quidam indutus lineis*, etc. Sed est ejusmodi propè infinita interpretatio, quæ ego nihil aliud, quàm repentinam, atque insperatam visionem significari existimo, veluti cum quis aliis rebus intentus, fortè circumspiciens, rem ante non opinatam adesse cernit. Nam quod quidam putant, sublatis oculis ad celestium rerum considerationem contemplationemque spectare, non potest ea interpretatio ad omnes personas accommodari, quare extortam esse certum est. At enim illius modi vis

semper, congruente analogiâ, eas res quarum gratiâ apparent, representare debent; alioqui enim absurda essent. Strictus ergo gladius in viri fortis manu, Dei potentiam representat Josue, ut is agnoscat verum populi imperatorem, ejus virtute bellum quod instat universum faciè confectum ibitur. Ceterùm quòd ipse tam audacter contra virum, quem armatum videt, et procul dubio, angustâ specie insignem, pergit, iisque affatur verbis, quæ planè aut pugnam, aut amicitiam decernant, fortis quoque et fidentis animi est, quibus virtutibus egregiè pollebat imperator præstantissimus.

Chaldaeus interrogationem illam: *Num noster tu, an adversariorum?* explicatius reddidit: *Num ut nobis opem ferres venisti, an ut hostibus nostris?* Sed cum diversa duo interroget ille conjunctè, parùm aptum videri possit responsum simpliciter datum ab angelo, verum hic falsam ex animo illius opinionem extirpare primum volebat. Nihil enim adhuc in mentem Josue venerat, quàm hominem esse. Respondet ergo, hominem se non esse, neque Hebræum, neque Chananzæum. Septuag. Interpretes pro  $\aleph$ , videntur legisse  $\tau$ ; reddunt enim pro negatione, pronomen  $\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma$  non sanè prorsus absurdè; nam Judæorum Massoreth observavit, quindecies  $\aleph$ , pro  $\tau$  in sacris libris esse scriptum.

Sequitur: *Sed sum princeps exercitus Domini*. Sum, inquit, summus populi Dei imperator, cujus nutu et moderatione istæ, quas tu ducis, copie reguntur et gubernantur. Aut, ut alii explicant: *Ego celestis exercitus imperator sum*. Sed ut ut est, eò pertinent magnifica ista verba, ut iis consiliis, aut mandatis veriùs, atque etiã promissis quæ de oppugnandâ et capiendâ Jerichunte exponet angelus proximo capite, auctoritas et fides comparentur, et simul, quod nuper dicebam, ut Josue animus adversus arrogantiam in futuro cursu rerum prosperrimo præmuneretur. Quo vitio vix aliud detestabilius invisusque Deo concipere homines queant. Nam si pro maximo scelere habetur falsorum deorum cultus, ut est sanè maximum, non video cur pecces graviùs turpiusque, si vano cœcipiam simulacro accepta referas, quæ à Deo profecta sunt, quàm si tibi met ipsi. Chaldaeus posteriorem sententiam approbavit. Reddidit enim sic: *Ego sum angelus missus à Domino*. Esse quosdam in cœlo principes angelos, consentaneum est Danielis verbis, cum ait e. 10, v. 13: *Et ecce Michael unus principum primorum, venit*

S. S. VII.

*mihî subsidio*. Vocantur autem illi principes, primi, ut videtur divo Hieronymo, quos archangelos aliàs vocamus, aut fortassè, qui regnis nationibusque à Deo sunt præfecti, quales fuere apud Danièlem princeps Persarum, et principes Græcorum. Judæi ergo hunc principem angelum statuunt Michaelen fuisse; cui alioqui Israelitarum cura fuit à Deo demandata, teste Danièle cap. 10, v. 21, et 1, 21. Atque eandem habet Theodoretus quoque opinionem. Promiserat enim, inquit, Deus, missurum se summum angelum, qui populo præiret. Ego verò existimo, fuisse quidem hunc eum ipsum angelum de quo Deus ad Mosén Exod. 23, v. 20, verba illa faciebat: *Ecce ego mitto angelum ante faciem tuam, ut servet te per viam, et perducat te ad locum quem paravi. Caveto à vultu ejus, et obtemperato voci ejus, ne rebelles ei. Neque ignoscet iniquitati vestre. Est enim nomen meum in ipso*. Sed cum angelum esse puto, non Michaelen, verum æternum Dei Filium, et perpetuum principem directoremque populi Dei. Quantùm enim tum demum propriè nuntius Patris ille factus est,  $\alpha\upsilon\tau\omicron\varsigma\ \epsilon\upsilon\alpha\gamma\epsilon\lambda\iota\omicron\varsigma$ , cum ex beatâ Virgine carnis indutus, planè ad nos accessit; et in terris visus, atque nobiscum versatus est, tamen inde à condito lapsusque Adamo, ejus perpetua curatio fuit, humanum genus Patri reconciliare, atque Ecclesiæ sanctæ religionem constituere, ut rectè, etiã antequàm homo esset factus, Dei angelus sit vocatus, cum per eum Deus Pater de rebus omnibus semper cum mortalibus communicaverit, de quâ communicatione supra disputavimus prolixius.

Ad hæc prisici Patres, viri sanctissimi, legationem istam, quâ corporatus ad nos ille tandem accessit, quasi jam tum præsentem, et quæ reipsâ gereretur, amplectebantur per fidem. Unde est, illud Joan. 8, 50: *Abraham vidit diem meum, et gavisus est*. Non ergo mirabile est, quòd angelum vocarent etiã tum Dei filium. Et sanè quòd dico, id ab ipsis etiã prisicis Hebræis, sed occultè, dictum esse videtur. Nam in commentario vetusto *Tanhuma*, quem librum sæpè, ut laudem facit varia quam complexus est doctrina; in eo, inquam, commentario, dum locus ille de angelo preliuro Israelitici, qui in Exodo scriptus est, tractatur, hæc legitur: *Dicebat Deus Mosi Exod. 23, v. 20: Ecce ego mitto ante faciem tuam angelum. At Moses respondebat: Ego angelum nolo, sed te ipsum volo*. Porrò Josua filius Nun, cum e primùm videret angelum, dicebat: *Noster*



ne es, an adversariorum nostrorum? Tum ad eum angelus: *Ego, inquit, sum princeps exercitus Domini, jam veni: ac si diceret: Ego jam secundo adsum, ut Israelitas in possessionem suae hereditatis ducam. Veneram enim etiam cum imperator esset Moses magister tuus; sed ille, cum me videret, noluit me secum ire, sed à se repulit. Ilac autem simul atque audisset Josua, procumbens in faciem, adoransque dicebat: Quid Dominus meus loquitur ad servum suum? Hæc prisci Judei, quo dixi libro, et his similia plura, quæ mihi certè visa sunt alludere ad Judaici populi Ecclesiam, quæ de Mose magistro se jactabat; et ad eam quæ nunc à Josuâ, hoc est, Jesu Christo regitur. Illa enim allegatum ad se angelum Christum, ut ipsi ad cœlestem hereditatem patefaceret aditum, repudiavit atque urbe etiam ejectioni cruci affixit. Hæc verò simul atque cum ex doctrinâ, tum ex miraculis intellexisset, eum à se, non ab adversario Beezebub stare, adoravit, ejusque jussa submitte et obediens amplectata est.*

Sed quando me ad Judæorum philosophiam deduxit præsens commentatio, adscribam etiam illa, quæ de hoc angelo apud R. Mosem Gerundensem Nehmanni filium reperi, virum profectò acutum, et qui in cabalistarum philosophiâ exercitatus, non uno loco nostræ redemptionis mysteria, quasi per cancellos, animadvertere mihi visus est, tametsi gentili pertinaciâ ad ipsam usque veritatem penetrare, et eam amplecti, profiterique neglexerit. Scribit igitur ille de angelo, qui à Mose in rubo visus est, in hanc ferè sententiam: *Iste, inquit, angelus, si rem ipsam dicamus, est angelus redemptor, de quo scriptum est Exod. 23, v. 21: Quoniam nomen meum in ipso est. Ille, inquam, angelus qui ad Jacob dicebat Gen. 31, 15: Ego Deus Bethel. Ille de quo dictum est Exod. 5, 4: Et vocabat Moyses Deus de rubo. Vocatur autem angelus, quia mundum gubernat. Scriptum est enim Deut. 6, 21: Eduxit nos Jehova (hoc est, Dominus Deus) ex Ægypto. Et alibi Num. 20, 16: Misit angelum suum, et eduxit nos ex Ægypto. Præterea scriptum est Isa. 63, 9: Et Angelus faciei ejus salvos fecit ipsos. Nimirum ille angelus, qui est Dei facies, de quo dictum est Exod. 33, 14: Facies mea præibit, et efficiam ut quiescas. Denique ille angelus est de quo Malach. 3, 1: Et subito veniet ad templum suum Dominus, quem vos quaeritis, et angelus fœderis quem vos cupitis.*

Et rursum alio loco, ubi illum versiculum exponit: *Facies mea præibit, et efficiam ut quiescas*, sic scriptum reliquit, ut in pauca conseram: *Animadvertite, inquit, attentè quid ista sibi velint. Moses enim, et Israelitæ semper optaverant angelum primum; cæterum quis ille esset, verè intelligere non potuerunt. Neque enim ab aliis percipiebant, neque prophetica notione satis assequabantur. At qui facies Dei, ipsum significat Deum, quod apud omnes interpretes est in confesso. Verùm ne per somnium quidem ista intelligere quisquam possit, nisi sit in mysteriis legis eruditus.* Et post pauca: *Facies mea præcedat*, hoc est, angelus fœderis, quem vos cupitis, in quo videbitur facies mea, de quo dictum est: *Tempore accepto exaudiam te. Nomen enim meum in eo est. Factianque ut quiescas*, sive, efficiam ut ipse tibi sit lenis et benignus. Neque te ducat per jus rigidum, sed placidè et clementer. Hæc Gerundensis quæ quàm sint nostris mysteriis consentanea, nemo, opinor, non videt.

Nomen autem Dei, ipsa est Dei essentia; hæc enim nomine *Jehova* quod, et peculiariter suum, Deus ipse Mosi patefecit, significatur. Esse autem Dei essentiam in Christo, inter nostra mysteria vel primum habetur. Sed quòd angeli nomen ad mundi moderationem spectare existimat Nehmannus, haud absurdè id quòd à Patre inde à condito orbe ad nos est destinatus allegatus, idcirco angelum vocari. Atque eadem ratione etiam facies Dei dictus videri potest, cum in eâ legatione, Patris sui faciem, post Adæ peccatum humano generi ignotam, in se ipse nobis representaverit. Verè enim ab ipso dictum illud est Joan. 14, 9: *Philippe, qui videt me videt et Patrem meum.* Sed dimittamus Judæos. Certum est, Dei faciem prævisse Israelitis, cum Moses dixisset populi. Eamque faciem fuisse Deum ipsum. Id enim et Moses, ut fieret, flagitabat, et Deus prestiturum se spondebat. Ad hoc Paulus, apud Corinthios, Christum esse comitatum illos, apertè testatur, qui cum sit imago substantiæ Patris expressissima, propriè profectò facies ejus dicitur. Præterea Deum ipsum fuisse non angelum quempiam ministrum, qui suam in rubo presentiam declarabat, Moses quoque et

testatus est, cum habitatoris rubi favorem, hebraicè פֶּרַץ, Josepho precaretur. Quis enim non existimet, Dei gratiâ, non angeli cupiditatem eum illi conciliare voluisse, cum omne donum perfectum descendat à Patre luminum? Cur ergo non idem ille, qui Mosis principatu præibat populo, nunc quoque, obtinente imperium Josuâ, ducem se præstare existimet? præsertim cum Moses testatus sit, frustra fore omnes populi conatus, frustra progressus in terrâ promissâ, nisi præeat Dei facies, nisi, inquit Exod. 33, 15, *facies tua nobiscum eat, ne nos hinc subducas*; aut cur non, ut in rubo Mosi, ita se hic Josuæ Deum, non angelum patefacere credamus? Certè priscos illos Patres Dei angelicæ vocabulo juxta usos esse, insigne est exemplum in Jacobi divinis votis, quæ de nepotibus suis Josephi liberis faciebat, cum diceret, Gen. 48, 15: *Deus qui pascit me, ex quo ortus sum, usque ad hunc diem; angelus qui redemit me ab omni malo, benedicat pueris, etc.* Equè pari enim benedicendi facultate pollere eum statuit, quem angelum nominat, et quem Deum. Jam verò quis nescit, omnem benedictionem à solo Deo, ut fonte, petendam esse? Angelum igitur appellavit, æternum Dei filium, cujus in res humanas semper fuisse moderationem intelligebat divinus senex. Ille ergo idem hic quoque princeps exercitus Domini vocatur, quippe qui est, non solum moderator, et gubernator Ecclesiæ Dei, sed etiam universi cœlestis exercitus princeps, et dominus, atque adeò conditor et effector.

Sed jam illud videndum est, quonam tandem modo Christus ante sumptam carnem, aut cœlestis illi spiritus angeli, patefecerint se, et ostenderint, vel Josuæ hoc loco, vel Mosi in rubo, vel Abraham in quæretum Mamre, vel Jacobo ad torrentem Jaboc, vel aliis denique viris sanctis. Verùm quando ejus rei subtilior, et contentiosior disputatio non solum supervacanea, sed etiam lubrica ad peccandum est, expediam paucis quòd mihi verissimum est visum. Sed iam illud videndum est, quæ vel ipsa sibi intus phantasia format, vel quibus externo aliquo puls informatur, cujusmodi sunt prophetice visiones, et his similes aliæ, nihil est quòd dicam: habent enim illa, qualia sint, cognitionem facilem, et à physicis satis explicatam. Sed de illis, quæ corporis sensus movent, veluti eum angelorum pedes lavaret Abraham, cum Loth ipsorum manibus eriperetur civibus Sodomæ, cum Jacob lætaretur, cum Moses rubum videret ardentem, et hujus generis aliis. Neque

verò etiam subtiliter inquiram de angelorum naturâ, habeant corpora, à quâ sententiâ haud alienus fuisse videtur divus Augustinus, atque etiam Plato, et ex recentioribus Michael Pselus Ephesinus. An verò spiritus corporum prosus expertes sint: quod vulgò theologis rectè probatur. Nam, ut habeant illi corpora, etsi est id quidem parùm probabile, tamen ut habere eos demus, certè Dei Filium non habuisse, antequam *κατ' εὐαγγελίαν* fieret filius Davidis, formamque servi acciperet Dominus, in confesso apud omnes est. Anthropomorphyte enim jam olim explodi sunt. Ad hoc, nemo, opinor, omnium est, qui angelis ejusque generis aut modi corpora attribuenda putet, quæ in nostros sensus cadant. Quare nihil platonica illa opinio ad id quòd modò agimus. Mihi igitur quod Tertulliano placuit, aut verum, aut certè verò simillimum esse semper visum est, eum Dei Filium, antequam homo factus esset, tum angelos, ita carnem reverà induisse, ad tempus, ut videri, et congressi cum hominibus possent, suasque per illa corpora proprietates, ut sic dicam, nobis adumbrarent, et quadamtenus representarent; neque ullis eâ in re præstigiis, sensus nostros fallerent. Cæterum an ex nullâ materiâ ea corpora sumpserint, ut Tertullianus affirmare non dubitat, an verò ex aliquâ, ut est credibilis, et quânam illâ, aereana an aliâ, hanc quoque ego disquisitionem in medio relinquo.

Neque verò ex his quæ dixi, confici potest, homines illos fuisse, similiter atque fuit Christus homo verus, cum carnem ex beatâ Virgine sumpisset, factus Davidis nepos. Neque enim sola caro, quamvis in hominis figuram conformata, hominem facit, nisi ei consociata sit per ortum, anima humana, ut ex hisce duabus rebus fiat una, ut vocant *ὑπόστασις*, atque ut nos dicere solemus, *persona*, quò modo spiritus illi cum carne, quam ad tempus, ut dixi, sumpserant, minimè fuerunt colligati; neque enim cum eâ nascendo erit erant. Atque cum ob rem sacrarum rerum scriptores, cum propriè loquantur, non homines vocant eos spiritus, qui sic apparent, sed similitudines, aut imagines, vel species hominum. Et pròinde cum carnem illam rursum relinquere, mori haudquaquam rectè dici poterunt, quod porrò factum illiusmodi corporibus sit, postquam, spiritus excessère, nihil est quòd solliciti simus quando divinæ potentie tam fuit facile illa subito dissolvere, sive in aërem, sive aliud elementum, quàm antea fuerat, conglutinare



atque conformare. Atqui ex iis quæ dicimus, forsitan occurrit illud, hominum oculos falsæ specie à spiritibus illis fuisse præstrictos, si homines non fuere, cum esse homines viderentur. Sed hoc non est ita. Ea enim species, quæ videndi sensum movebat, talis reipsa species erat, qualis esse videbatur; ceterum opinatio de ipsâ rei substantiâ, ea ad mentem pertinebat, quæ suo iudicio falli potuit. Sed in re admodum obscurâ, et quæ cognitionem habet difficillimam, sic sententiam atque opinionem nostram affirmavimus, ut facile passuri, neque molestè laturi simus, si quis nos bonis rationibus refellat, certioraque doceat.

Sequitur in contextu sacrorum verborum: *Modò veni, sive, jam, vel nunc veni.* Id quomodò exponant Talmudici et prisci Judei, supra diximus. Illos sequi videtur, ut plerumque assolet, R. Salomon. Sed omissis istis, si angelus idem ille est, qui imperante Mose, dux populi fuit, ipsa Dei patris facies videlicet, et expressa imago substantiæ ejus, quid est, cur se modò venisse dicat, qui adhuc in medio esse versatus populo, quemque mox post Mosis excessum Deus promittebat non minùs Josuæ adjutorem fore, atque ante Mosis fuisset, præsertim, si Chaldaei interpretationem probamus, quæ illic est à nobis exposita; denique qui nuper in traducendo per siccum flumen populo, tam lucentem præsentiam potentiamque suam declaravit? R. David Kimhi quidem autumat, emphasim habere adverbium *נָּוּנָּוּ* nunc, modò, jam, nempe ut subitaneo intervenitu significet se spiritum, non hominem esse, cum humana, aliaque corpora non nisi sensim se sistere ullo in loco possint. Satis ille quidem acutè, at parùm, ut mihi videtur, firmè. Nam, ut ex aliquot Danielis dictis lucenter apparet, significant ista verba, eum qui sic loquitur, de re quâpiam singulari adesse, suamque præsentiam declarare, ut, in non dissimili huic nostræ, visione, cum vir vestitus lineis sic loquitur ad Daniele cap. 10, v. 11: *Daniel, vir gratiose, intellige verba, quæ ego loquor ad te, et consiste, quia nunc missus sum ad te.* Et post pauca ibid. v. 14: *Ego veni, ut significarem tibi, quæ accident popularibus tuis in ultimis diebus, etc.* Et in aliâ visione, cap. 10, v. 22, narratâ, cum Gabriel ad illum hæc facit verba: *Daniel, modò egressus sum, ut te erudirem informaremque intelligentiâ; in tuæ precationis initio res est decreta, et ego veni ut nuntiarem. Es enim gratiose, etc.* Etsi igitur princeps iste celestis exercitûs, vel Ecclesiæ

Dei, adhuc est Josuam et populum comitatus, tamen recè se nunc advenisse ait, quia de re singulari jam Josuam adit, nimirum expositurus omnem capiendæ urbis Jericho rationem; de quâ re credibile est tunc magnis precibus interpellatum fuisse à Josuâ Deum. Sicut Danieli quoque offerantur visa illa quæ modò memoravi in precibus.

Sequitur: *Ceciditque Josua in faciem suam, etc.* Hoc Josuæ, cum aliis viris sanctissimis commune accidit. Nam Moses quoque, cum primum loquens ex rubo audisset Dei verba Exod. 3, 6: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Jacob,* occultebat faciem suam, nimirum verebatur obturi Deum. Et Daniel de se ipse memorat cap. 10, v. 9, simul atque audisset vocem verborum viri illius lineis induti, cujus modò mentio est facta, repentè, quasi sopore mens attonita fuisset, pronum se in terram cecidisse. Sed sunt in sacrâ historiâ hujusmodi exempla plurima, ex quibus lucenter apparet, quantam habuerint divina apud priscos Patres oracula reverentiam; et quæ contra, apud nostri seculi homines, tante sit sceleratæ audaciæ ac impudentiæ causa, quâ multi in omnia vel abditissima mysteria penetrare conari non verentur, atque de iis, pro putidi sui corporis sensibus potiùs quàm pro ipsis Dei oculis, existimare. Nimirum isti non satis animadvertunt, et illum esse Deum, et se homines humi stratos, atque ideò tam impudentem in illius arcana omnia, tanquàm in res naturæ legibus subjectas, inquirent. Sed Moses et Josua, usque eò dum intelligunt, quis sit quocum ipsis res est, intrepidè accedunt, obtinentur, percontantur, respondent. Verùm è vestigio ubi divinum esse numen audiunt, ne attollere quidem oculos sustinent. Quippe quò se Deus viris verâ pietate præditis, patefacit propius, eò suam ipsi humillimam conditionem, contra verò, illius sublimem et divinam magnitudinem majestatemque magis agnoscunt et reverentur.

Discamus ergo nos quoque his exemplis moniti, ad Deum adire humiliter, castè, sobriè, pietatem adhibere religiosam, amovere arrogantiam, hoc est, dejicere omnem ingenii nostri celsitudinem, quæ sese effert contra cognitionem rerum divinarum, quæ sunt à superborum atque arrogantium hominum intelligentiâ longissimè disjunctæ, accommodatè verò ad eorum, qui sui desipientes cum sint, in eâ doctrinâ quæ à sacrosanctâ Ecclesiâ est

tradita acquiescunt, suas verò cogitationes ad auscultandum oraculis Christi, et Ecclesiæ auctoritatibus mancipant, castoque timore timent, neque magnificentius de se ipsi sentiunt quàm oporteat, sed sobriè, pro fidei modo, qui cuique à Deo datus est.

Illud: *Et incurvavit se,* hebraicè est, *שָׁרַף*, quod verbum honoris est, quo vel Deum, vel homines proni afficiunt. Utriusque exempla plura sunt in sacrâ historiâ, quàm ut locos ostendere sit operæ pretium. Quare nihil attinet querere, quem hic adoraverit Josua. Nam scrupulus ab Augustino motus, cui se prostraverit, non video qualis sit; hoc enim fuit percussus formidine subitâ animi, ut videtur. Et ut fuerit reverentia, libenter enim hoc fatemur; tamen nos fuit semper illi genti, non solum Deo, sed etiam angelis, sed etiam hominibus se prosternere, honoris causâ. Illud enim verbum hebraicum prorsus respondet Græcorum *προσκύνησις*, quod apud Orientis populos semper fuit solenne et usitatum, ut ex Xenophonte constat. Quem morem homines illi adhuc observant, ut sæpè vidimus; demittunt enim se pronos in terram, eamque ubi ore attingunt, rursus se erigunt, et semel iterumque venerandi salutantesque incurvant corpora.

Quæ sequuntur verba: *Quid Dominus meus loquitur ad servum suum?* promptissimè voluntatis significationem ad parendum divinis jussis continent, quæ voluntas nata est ex divinæ magnitudinis, et humanæ parvitatæ contentione. Nam sive Deum ipsum in illi personâ, sive administrum Dei angelum esse arbitrabatur, eâ procul dubio notione illius animus erat divinitus informatus, ut planè intelligeret, non inane spectrum, aut cacodæmonem, sed Dei legatum esse. Verùmenimverò ut hæc ad nosmetipsos accomodemus, docet nos hic locus, ut ad percipiendâ divini verbi sensa, et ipsis præstantiam dignitatemque, et nostram parvitatem atque incertiam primum agnoscamus, eòque sensus nostros atque intelligentiam nostrî ingenii abjiciamus humi, neque impudenter in illud intendamus, quasi in humanam philosophiam. Deinde verò pio in Deum animo, ut ipse nos fide firmâ imbutos sublevet, suâque divinâ gratiâ fulciat ac sustentet, mentemque nostram illuminet deprecemur. Atque ita demùm, quid Dominus noster loquatur ad nos, interrogemus, idque ut sanctus ipsis Spiritus nobis explicet, qui solus veritatem cordibus hominum suggerit atque persuadet, cum docili voluntate petamus.

VERS. 15. — DETRAHE CALCEAMENTUM TUM DE PEDIBUS TUIS, etc. Nondum exponit princeps exercitûs Dei, quarum rerum gratiâ allegatus sit; sed narrationi suæ auctoritatem prius captat et fidem. Calceamentum enim exuere, nudisque pedibus insistere jubetur Josua, ut ipsius mens religione percellatur, permoveturque etiam atque etiam presentia majestatis divinæ opinione, ac proinde attentior sit ad visionem, tanquàm rem divinam, expendendam cogitatione, et secum diligenter pertractandam, tum verba, sicut Dei oracula penitus percipiendâ, et ut verissima certissimæque amplectendâ, quæ aliqui vanissimis somniis similia videri, et proinde neglecta excidere facile potuissent. Quid enim minis simile vero dici queat, quàm, circumstante otiosis manibus milite, urbis munitissimæ muros sponte suâ esse collapsuros? Præterea, ut intelligat, Dei gladio victoriam universam esse attribucendam, nihil arrogandum suis viribus, ut qui humi stratus ne suspicere quidem celestem illum principem audeat. Hanc ceremoniam, ut Moses Gerunden-sis prodidit, Judaici populi sacerdotes, Josuæ exemplo, deinceps perpetuò usurpârunt in templo ministrantes, ut sacris operibus. Et sanè etiam nunc apud plerasque Orientis nationes piaculum est, calcato pede templorum pavimenta calcasse.

Sed enim, si Moses, si Josua, viri sanctissimi et divini, illiusmodi ceremoniæ ad religionem permovendi fuere, quâ, quæso, sui fiducia multi jam in cultu divino, summâ cum petulantia, imò verò contumeliâ, ceremonias omnes, quamvis antiquas, quamvis à sanctissimis Patribus inde à religionis nostræ canonicis usurpatas et traditas ridet, damnant, repudiant, profligant? Nimirum isti! repentè hominem exuerunt; nullis distinguuntur humanarum rerum cogitationibus, sed animo libero solutoque cum celestibus spiritibus per celum volitant, Deumque coram intuentur. O demantiam, atque insaniam! Nihil est, fateor, cur Deo nudi pedes, quàm calcæis circumdati, cur resecta capita quàm aperta, aut omninò alius habitus gestusve corporis alio magis placere debeant. Sed tamen nostrâ causâ utiliter ista instituantur externæ pietatis, ut sic dicam, exercitia, ut dum iis propalam utimur, tanquàm et rebus divinis operam damus, animum nostrum verum humanarum desipientiâ coerecamus reprimamusque, qui se aliqui perpetuò aliis atque aliis pravis cupiditatibus, quamdiu in his inclusus est compagibus corporis, insolenter



effert, atque ad pietatem et religionem conver-  
tamus, simulque etiam exemplo proximos ad  
laudandum prædicandumque Deum vocemus  
atque invitemus, secundum illud Christi, Matth.  
5, v. 16: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, etc.*;  
dum in genua, dum in faciem procumbimus,  
dum manus in cælum tendimus, aut palmas,  
quasi vincetas, consociamus; oculos sustollimus,  
caput detegimus, nudis pedibus ambulamus,  
humus cubamus; cilicium induimus, ovinas, ca-  
prinas pelles, ut ait Apostolus, atque omnino  
tanquam sordidatos nos sistimus ante Dei ocu-  
los; quid aliud agimus, quam nostram parvi-  
tatem, et, ut sic dicam, indignitatem, cum  
divinæ majestatis magnitudine comparamus?  
coque et nostram et eorum qui nos forte  
intuentur mentem ad despiciendum res nos-  
tras; suspiciendum verò admirandumque et  
expectandum cœlestes et divinas flectimus?

Quid crucis signum? quo ipsa etiam antiqui-  
tas, ut ait Tertullianus, ipse auctor inter nos-  
tros sanè cum primis antiquus, quæcumque  
illam conversatio ulla exercebat (utor ejus  
verbis) terebat frontem; quid, inquam, hoc  
signum aliud est, quam ingenua crucis pro-  
fessio, atque adeo ut de gloriantia prædicandâ  
que re, sancta jactantia? Quare illud dum  
ex animo in omnibus nostris actionibus usur-  
pamus, atque in re per se probrosâ, salutis  
nostræ memoriam et imaginem nobis sæpè  
proponimus, et veluti hoc Christi trophæo, hos-  
tem, ne ea quæ aggredimur, impediatur, deterre-  
mus, Christum ipsum, procul dubio, nostrâ  
tam liberali professione atque fiducia, in eâ  
quam ipse nostrâ causâ sustinuit ignominia,  
ut ea quæ agimus auspiciatiora faciat, provoca-  
mus. Verùm abesse volo ab his omnibus  
fictam simulationem, in quâ, sicut nec reliquæ  
virtutes, ita neque pietas inesse potest; est  
enim illa in cœremoniis omnibus, cultuque  
externo maxima pestis. Debent enim hæc, ut  
proba sint, neque gloriæ et laudis cupiditate,  
neque etiam magicâ superstitione exerceri, sed  
cum animi pietate conjuncta esse, atque ab eâ  
veluti procreari. Sed neque salutis nostræ  
spem atque fiduciam in istis collocatam habere  
debemus, quæ Christi meritis planè est attri-  
buenda; sed hæc hactenus.

Solent plerique calcementis significatas esse  
dicere, pravos corporis cupiditates, sive ani-  
malem hominis partem, quæ non percipit ea  
que spiritus Dei sunt, ut ait Paulus 1 Cor.  
2, 14, semper humi strata, terrenisque affixa  
rebus. Eæ enim perturbationes mentis, quoad

ejus fieri potest, exuende sunt iis, qui divinas  
res contemplari, meditarique volunt. Hæc  
allegoria etiam à quibusdam est Hebræis pro-  
dita. Et fortassis eodem spectat, quòd Christus  
suorum discipulorum pedes lavat, priusquam  
eos sacrosancti sui corporis et sanguinis parti-  
cipes faciat. Quin illud quoque non incitum  
est, ut mihi videtur, quod à Cypriano est  
proditum (si is est auctor librorum ad Quiri-  
num inscriptorum), hoc ritu significari, unum  
Christum esse Ecclesie verum sponsum, cæ-  
teros verò omnes, quantumvis sanctos Deoque  
probatos viros, amicos modò sponsi. Cùm ut  
in Deuteronomio et historia Ruth scriptum est,  
qui alteri propinquiore magisque necessario in  
ducendæ sponse jure cedebat, exuere calcem  
lege debuerit.

Quidam inter recentiores Judæorum scri-  
ptores celebris famæ, et sanè acutus et eruditus,  
Isaac Jeræmus observavit, Mosi dictam esse:  
*Exue calcamenta tua è pedibus tuis, numero  
plurimum; at Josuæ: Calcamentum tuum è  
pede tuo, quia illi duplex cura incumbebat,  
quarum utramque ab se in Deum rejicere  
jubebatur, huic verò unica, Moses enim,  
quomodi cum imperio apud populum fuit, non  
solum imperatoris officia, sed etiam patris fa-  
milias et nutritii facere debuit, cùm per vas-  
tam solitudinem illi alioqui cibo, potu, veste  
caruissent. At Josua in regione omnibus re-  
bus, quæ ad humanos usus necessariæ sint,  
affluente, nullam nisi bellicarum rerum cura-  
tionem habuit. Alius Judæus in cabalistarum  
philosophiâ eruditus et versatus, nomine Ba-  
haius, ad uberiorem rerum divinarum intel-  
ligentiam, quâ Moses præ Josuâ informandus  
à Deo esset, atque ad aliorum gradum, quò  
esset propius in illius familiaritatem admit-  
tendus, spectare existimat numeri differen-  
tiam. Sed hæc argutiora sunt quàm firmitiora.*

Quod porrò sequitur: *Quia locus in quo insi-  
stis, res sacra, sive, sacer est* (sæpè enim sub-  
stantivis pro adjectivis, ut grammatici loquun-  
tur, utitur Hebræa lingua), causam continet  
exuendi calcementi, atque dicens, quid  
sibi illa cæremonia voluerit, explicat, nempe,  
ut præsentis majestatis divinæ opinio, animum  
imperatoris magnâ religione perfunderet atque  
obligaret, quo is non solum ad ea quæ mox  
est moniturus Deus, mentem acris intende-  
ret, verum etiam angustissimi illius ostenti  
memoriâ se ipse in posterum subinde confir-  
maret. Quò enim spectet loci sanctitas, si  
non ad divini numinis præsentiam? Nam quòd

quidam existimant, ad universæ Chananaeæ  
dignitatem pertinere, vanum nimis est, et ex  
inconsiderantiâ profectum. Etenim locus ille  
quoque in quo Moses ardentem rubum videbat,  
similiter atque iste sacer esse dicebatur, quam-  
vis procul à Chananaeâ abesset. Tum si uni-  
verse Chananaeæ sanctitas istis verbis perhi-  
betur, quid restat, nisi ut omnes simul  
Israelite, unâ cum imperatore, calcem abji-  
ciant, nudisque pedibus ambulent? Est igitur  
quod ait, hujusmodi: « Memineris te coram  
« Deo ipso stare, iisque quæ et vides, et  
« porrò audies consilium voluntatemque summi  
« numinis tibi declarari. » Etsi enim Deus ubi-  
que est, atque hic mundus omnis, templum  
domusque ipsius habetur, neque certis con-  
cludi locis ejus infinita majestas potest, tamen  
non perinde ubique præsentiam suam declarat,  
sed prout divina ejus rerum humanarum mo-  
deratio postulat. Ad hoc, quædam eum loca  
singulariter suo cultui consecrata dedicataque  
velle præ aliis, tam sæpè ipse est testatus,  
ut supervacanea sint, si qua proferam argu-  
ments. Et sunt ejus rei exempla in primis  
insignia, sacra arca, et memorabile illud  
Salomonis templum, in quibus ut se singula-  
riter coleremus, precaremur, veneremur,  
voluit. Affert enim eæ res religionem utillem  
populis, civitatibus, cæteribus hominum aliis,  
quippe qui ejusdem loci precationibus et co-  
lendo Deo dicati, atque eorumdem rituum et  
sacrorum communione arcitius inter se conso-  
cantur, mutuæque charitate obligantur. Neque  
enim est, opinor, ullus nostrum, qui non  
sæpè in se ipse experietur, pietatem atque  
religionem majorem incessere animum suum,  
cùm in templa, eaque loca ingreditur, quæ  
sanctitatis opinione habent venerationem, præ-  
sertim tum, quando in ipsis publicè hominum  
cætus rebus divinis operam dat. Rectè igitur  
locus ille in quo stabat Josua, sacer à Deo  
vocabatur, illud et quia ipse suâ eum præsen-  
tia reverè consecrasset, et quia Josuæ erat  
utilis eæ sanctitatis opinio, ob causas quas  
jam attulimus. Nam si res omnes consecrantur,  
ut ait divus Paulus, per verbum Dei, et sa-  
cras preces quæ ad illas adhibentur, quanto  
magis per Deum ipsum, quando se apud ipsas  
efficienter præsentem sistit! Nam ut ex novâ

#### CHAPITRE VI.

1. Jericho autem clausa erat atque  
munita timore filiorum Israel, et nullus  
egredi audebat aut ingredi.

quoque lege exemplum unum afferam, an non  
singulari sanctitate affectam à Deo fuisse pis-  
cinam illam putabimus, quæ Jerosolymis *Beth-  
hesda*, hoc est, misericordis aut benignitatis  
locus vocabatur, in cujus aquas ab angelo  
commotas atque agitatas qui primus descendis-  
set, is à quovis morbo curabatur? Sanè in ele-  
menti naturâ tantam infuisse efflicacitatem  
nemo sanus dixerit.

Sed concludam hunc locum divi Augustini  
verbis, qui in Epistolis sic scriptum reliquit:  
« Ubique quidem Deus est, inquit, et nullo  
« continetur aut includitur loco, qui condidit  
« omnia. Oportetque eum à veris adoratoribus  
« spiritui et veritate adorari, ut in occulto exan-  
« diens, in occulto etiam justificet et coronet.  
« Veruntamen ad ista quæ hominibus visibi-  
« liter nota sunt, quis potest ejus consilium  
« perscrutari, quare in aliis locis hæc miracula  
« fiant, in aliis non fiant? Multis enim notis  
« sima est sanctitas loci, ubi beati Felicis No-  
« lani corpus conditum est. » Et quæ sequuntur  
plura in eum sententiam.

Postrema hujus capituli clausula: *Fecitque Jo-  
sua sic*, nobis ante oculos ponit ad imitationem,  
promptam et alacrem in parendo verbis Dei  
obedientiam. Nam, ut nuper dicebamus, ejus-  
modi sancti spiritus inflatu informata Josuæ  
mens intus erat, ut planè intelligeret, divinam  
esse visionem, non præstigias aut fallacias  
cacodæmonis. Discamus igitur et nos quoque  
Dei verbis, quibus nobis per sacra Evangelia  
quotidie loquitur, credere simpliciter, ut ipsa  
Ecclesie perpetua consensio eâ explicavit. Et  
si quando humano judicio nostro illorum sensa  
non satis probata videntur, ne in animum  
inducamus calumniano velle pervertere doc-  
trinæ à Patribus ad nos propagatæ pulcher-  
rimum consensum concutimus, sed existi-  
memus Deum illa nos intelligere noluisse, sed  
credere. Itaque credamus, neque ullis modis  
abducamus, ut putemus, sanctissimos illos  
viros, qui tam longâ serie, alii post alios,  
omnem, nostræ religionis disciplinam nobis,  
quasi per manus, tradiderunt, ad delirasse,  
aut fallaciter verba sacra interpretatos esse,  
cùm idem essent verbis quidem docendi,  
moribus autem, totiusque vite suæ exemplo,  
rectè faciendi vivendique magistri.

#### CHAPITRE VI.

1. Cependant Jéricho était fermée et bien  
munie, dans la crainte où l'on y était des en-  
fants d'Israël, et nul n'osait y entrer ou en  
sortir.